



UBI SUNT HEROES?

08 Décembre 2015

Die Lunae 7° mensis Decembris anno 2015°

Liceat per lectores Vitae Classicorum comitia nuperrime in Gallia habita sileamus, quorum exitus perturbationibus nostratum animorum congruit sane neque quicquam habet ad quod tantopere obstupescamus.

Nempe Galli ideo maxime perturbantur, sententia quidem nostra, quod, cum tantam cladem, tam repentinam atque improvisam, impotenter passi sint, alii inermes victimae territorum tamquam hostiae victimario immolendae, ceteri autem privati spectatores quibus nihil reliquum esset quam lacrimae et angor et ira, nunc desiderantur heroes.

Nam magna facinora – quod epos Homericum iam inde ab incunabulis nostri cultus humani nos mirum in modum docuit – quotienscumque de morte accipienda agitur, nonnihil habent consolationis. Sic Achilles, in *Iliade* (IX, vv. 412-416), Thethyos genetricis verborum memor, ante mortales oculos duo genera mortis versari praedicat :

Εἰ μὲν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
ὤλετο μὲν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται·
εἴ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
ὤλετο μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δὴρὸν δέ μοι αἰὼν
ἔσσεται, οὐδέ κέ μ' ὄκα τέλος θανάτοιο κιχείη.

(«Si hic permansero ad arcem Trojanorum expugnandam, actum est de meo reditu, attamen gloria incorruptibilis mihi erit ; at si domum revertar in meam terram patriam, actum est de gloria, virtutis praemio, quamvis mihi longaevum vitae tempus superfuturum sit neque mors vitam meam cito sit finitura.»)

Aut igitur tarda mors in multa senectute inter vitae commoditates, aut velox in flore aetatis : utraque autem habet suum compendium. Ni eo tempore adhuc infenso animo adfectus esset Achilles in suos Argivos, sane alteram, κλέους plenam, maluisset, ad quam tandem aliquando, Patrocleum ulturus, in extrema *Iliade* regredietur .

Item Ulixes, in *Odyssea* (V, vv. 306-311), priusquam is quidem denique τούτῳ τῷ νόστῳ fruatur quo non Achilles, istam mortem obscuram, et gloria et fructu prorsus expertem, dum timet ne solus ignotusque in fluctibus citatis misere pereat, fortibus verbis vituperat; tum eum graviter paenitet non eidem morti atque Achilles occubuisse:

Τρισμάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότε ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες·
ὥς δὴ ἐγὼ γ' ὄφελον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν
ἡματι τῷ, ὅτε μοι πλεῖστοι χαλκήρεα δοῦρα
Τρῶες ἐπέρριψαν περὶ Πηλείωνι θανόντι·
Τῷ κ' ἔλαχον κτερέων καὶ μευ κλέος ἦγον Ἀχαιοί.

(«Ter quaterque beatos Danaeos qui tunc Magnae Troiae pro Atridis perierunt! Utinam mortuus essem fatisque opportunus essem illo die quo circa Achillem morientem plurimi Troiani telis aeneis me petebant: idem funus essem adsecutus, eandem gloriam mihi tribuissent Achaei.»)

Quibus verbis simillima, pari occasione, effudit Romanus Aeneas apud Vergilium (in *Aeneide*, I, vv. 97-98):

(...) *Mene Iliacis occumbere campis
non potuisse!*

Ceterum inter tot exempla virtutis quae historici Romani nobis rettulerunt, profecto Horatii Coclitis, Mucii Scaevolae, Cloeliae maxime eximia atque notissima sunt. Qua virtute mors ultro appetitur, dummodo et viro et eius genti id aliquid commodi adferat.

In exordiis enim Romanae Reipublicae, regibus expulsis, rex Porsinna, auxilio fretus Tarquiniorum in exilio jam versantibus, Urbem opprimebat. Attamen hi tres mortem inutilem effugere voluerunt. Horatius enim, dux paucissimorum adversus turbam hostium, aditum ad pontem sublicium (qui modo aedificatus erat) acriter defendit neque prius pedem rettulit quam exercitus Romanus pontem ipsum delevisset, quo facto ad suos inter tela volantia graviter armatus tranavit, omni via ad Romam expugnandam interclusa. Mucius vero Scaevola, postquam Porsinnam in propriis castris ferro in irritum petivit, cum rex ei mortem atrocem in flammis ostenderet, ut eam quam parvi faceret in propatulo appareret, foculo accenso dextram iniecit, qua de causa simul regis admirationem ob factum heroum, timorem tam animosi populi siquidem multi erant postea qui Mucium imitaturi essent, pacem utrique nationi, suam ipsius vitam impetravit. Neque feminae in hac occasione laudibus caruerunt, quamvis, ut decet, dulcioribus artibus: Cloelia, nobili loco nata, obses Romana apud Tuscos, pignus pacis observandae, una cum ceteris feminis obsidibus custodiam hostium frustrata, Tiberim flumen, equo insidens, trajecit, ut ceteras virgines in patriam incolumes reduceret. At Valerio Publicola consule ob perfidiam irascente, ultro sese hostibus tradidit, tamquam exemplum fidei Romanae.

Sed in summo discrimine nostro, nobis eo tenuior erat consolatio quo magis talibus heroibus indigebamus. Itaque nonnullos quesivimus, et invenimus: fuerunt illi juvenes qui, suo corpore percussorum telis objecto, prout poterant amicam tueri et servare non dubitaverant, ideoque sane dignissimi, utcumque in tanto periculo utrisque cecidisset, quos admiraremur.

Hoc tamen est memorandum: virtutem natura sua nihil habere nec boni nec mali. Nam ipsi territorios, fanatico studio accensi, sibi persuasum habebant – quis enim eat infitias? – se esse alteros Coclites, alteros Scaevolas, alteras Cloelias (aderat enim inter eos mulier quaedam), quippe qui mortem pro Corano parvi facerent. Attamen, ut Andreas Malraux admonebat : «Ut hominis, sic virtutis pretium.» Quibus verbis addimus: «et causae moriendi pretium.»

Nam in praesentia tales heroes desideramus quales nihil antiquius habeant quam qui paci inserviant in his regionibus unde violentia iamdudum bacchari non desinit. Nunc enim neque Coclitibus neque Scaevolis neque Cloeliis humano generi opus est, sed Johannibus Jaurès et Magnanimis Gandhi; profecto non pyrobolis, sed admonitoribus et arbitris. Quin antistites, potius quam bellum producant, maximum congressum hominum de pace in Oriente impetranda instituant, cui intersint ii omnes qui in Iraquia, in Syria, in Iudaea bellum gerant, praesentibus praecipuis nationibus qui eos ad pacem urgeant?

Galli autem talis incepti ultro sese auctores praebere possint, et propter suam calamitatem, et quod iam antea pacis tuendae fuerunt egregii auctores. Qua occasione, si quis res gestas in recentioribus annalibus evolvat, patebit Galliam exemplum verae virtutis oculis omnibus ultimum proposuisse? Fuit sane anno bis millesimo tertio, cum eius duces negaverint, quanta arte dicendi, se fore participem alterius belli Iraquiani, quo bello, eheu, calamitatibus quae nunc hic et illic saeviunt via late patefacta est, velut ex olla Pandoras horrendum in modum elapsis.

Tum demum eorum qui in Comissatione perierunt mors non fuerit inutilis.

Où sont les héros?

Lundi 7 décembre 2015

Que les lecteurs de la Vie des Classiques nous permettent de passer sous silence les élections de dimanche : leurs résultats correspondent assez au trouble des esprits dans notre pays, si bien qu'il n'y a rien là qui doive autrement nous surprendre.

Selon nous, l'une des raisons majeures du malaise actuel, la voici : après une telle catastrophe, aussi soudaine qu'imprévue, qu'il a fallu subir passivement, les uns, victimes désarmées, pareilles à des bêtes de sacrifice offertes au couteau de l'immolateur, et tous les autres qui assistèrent dans leur petit coin au spectacle et auxquels il n'est plus resté que les larmes, l'angoisse et la colère, la France se cherche des héros.

Car les actions nobles — c'est ce que depuis l'aube de notre civilisation les épopées homériques nous enseignent avec une force admirable — à chaque fois que l'homme rencontre sa mort, lui apportent une espèce de consolation. Dans l'*Illiade* (chant IX, vers 412-416), Achille, qui se souvient des paroles de sa mère Thétys, expose qu'il existe deux types de morts acceptables :

« Si je reste ici pour participer au siège de Troie, c'en est fait de mon retour, mais j'obtiendrai une gloire impérissable ; par contre, si je retourne chez moi, dans ma terre

natale, alors c'en est fait de la gloire, cette récompense du courage, mais mon existence sera longue, et la mort ne viendra pas de sitôt y mettre fin. »

Telle est l'alternative : mourir chargé d'années en profitant longtemps des charmes de l'existence, ou jeune, à l'apogée de sa vie ; et chacune a sa justification. Nul doute, cependant, que si Achille n'était pas encore plein de ressentiment à l'encontre des Argiens, c'est, dès ce moment-là, le premier terme qu'il eût choisi, auquel il reviendra, en définitive, pour accomplir la vengeance de Patrocle.

Semblablement, dans l'*Odyssée* (V, 306-311), avant de jouir de ce « retour » qui a été refusé à Achille, Ulysse n'a pas de mots assez forts pour flétrir la mort obscure qui l'attend, sans gloire et sans fruit, quand, la peur au ventre, il s'attend à être misérablement englouti par les flots démontés. C'est alors qu'il regrette amèrement de n'avoir pas péri au champ d'honneur comme naguère son compatriote Achille :

«Trois, quatre fois heureux les Danéens qui sont morts dans la grande cité de Troie, au service des Atrides ! Ah, si seulement j'avais pu mourir moi aussi et subir mon destin le jour où la foule des guerriers troyens lançait sur moi leurs traits de bronze, près du cadavre d'Achille. J'aurais eu les mêmes funérailles que lui et moi aussi j'aurais eu la gloire auprès des Grecs. »

Passage démarqué par Virgile (*Énéide*, I, 97-98) dans la bouche du futur romain Énée: « Ah, n'avoir pas péri dans la plaine de Troie ! »

Au surplus, les Romains affectionnaient les exemples de courage, qui est acceptation de la mort en raison même de avantages que celle-ci peut présenter à la fois pour l'individu et pour la collectivité. Ceux d'Horatius Coclès, de Mucius Scévola, de Clélie figurent parmi les plus remarquables et les plus illustres de ces exemples.

Nous sommes aux origines de l'époque républicaine : les rois venaient d'être chassés ; le chef étrusque Porsenna, fort du soutien que lui apportaient les Tarquins en exil, avait investi Rome. Or, aucun de ces trois personnages ne voulut d'une mort inutile.

Horatius Coclès, avec une poignée d'hommes face à la foule ennemie, défendit courageusement l'accès au Pont Sublicius qui venait d'être construit. Il ne battit en retraite que lorsque l'armée romaine eut fini de détruire le pont. Il rejoignit alors les siens à la nage, revêtu de son lourd armement. L'ennemi n'avait plus aucune voie d'accès à la Ville.

Mucius Scévola, lui, s'était infiltré dans le camp adverse pour assassiner le roi étrusque. Il manqua son coup. Porsenna le menaça de le faire brûler vif. Pour montrer à tous combien il

s'en souciait peu, il plongea sa main droite dans les braises d'un réchaud allumé. Cette acte héroïque suscita, ensemble, l'admiration du roi et ses craintes face à un courage qui était peut-être celui de toute une nation (combien Mucius Scévola aurait-il d'imitateurs ?). Le résultat, c'est que les deux peuples négocièrent un traité de paix, et que Mucius eut la vie sauve.

Pour faire bonne mesure, les femmes ne furent pas en reste, avec, comme il sied, des moyens plus doux. Une jeune romaine de noble origine, Clélie, était retenue en otage chez les Étrusques, comme gage de la paix. Avec ses compagnes de captivité, elle parvint à déjouer la surveillance de ses gardiens. Elle traversa le Tibre montée sur un cheval, ramenant saines et sauves les autres jeunes filles dans leur commune patrie. Mais ce manquement à la loyauté mit en colère le consul Valerius Publicola. La jeune fille se livra alors à l'ennemi de son plein gré, offrant ainsi un exemple de la bonne foi romaine.

Et nous autres ? ... Dans l'extrémité où nous sommes plongés, il nous est d'autant plus difficile d'être consolés que nous manquons cruellement de héros. C'est pourquoi nous en avons cherché, et nous les avons trouvés : ce furent tels jeunes hommes qui, lors du carnage, ont protégé leur petite amie en s'interposant entre le corps de celle-ci et les balles des assassins. Nous ne pouvons qu'admirer cet héroïsme ordinaire, quelle qu'ait été, au demeurant, l'issue de ces actes de courage pour les uns et pour les autres.

Mais il faut rappeler ici une vérité importante : le courage n'a en soi aucun contenu moral. Nous savons bien que les terroristes, en proie à leur fanatisme, auraient pu se considérer comme des Coclès et des Scévolas et même des Clélies puisqu'il s'est trouvé parmi eux une femme : n'ont-ils pas méprisé la vie pour que triomphe l'idée qu'ils se font du Coran ? On se souvient cependant de l'avertissement de Malraux : « Le courage vaut ce que vaut l'homme ». À quoi nous pourrions ajouter : « et il vaut ce que vaut la cause pour laquelle il met sa vie en jeu. »

Pour l'heure, nous voulons des héros d'assez grande envergure pour n'avoir au cœur qu'un seul désir, qu'un seul idéal : se mettre au service de la paix dans ces régions-là du globe où la violence se déchaîne depuis trop longtemps sans solution de continuité. L'humanité n'a besoin ni de Coclès, ni de Scévolas, ni de Clélies : il lui faut des Gandhi et des Jaurès. Elle n'a pas non plus besoin de bombes, mais de médiateurs, d'arbitres. Pourquoi donc nos gouvernants, plutôt que de faire le choix d'une guerre qui dure, ne proposent-ils pas d'instituer une grande conférence internationale sur la paix au Proche-Orient, où se réuniraient à la même table tous les belligérants d'Iraq, de Syrie, d'Israël, en présence des grandes puissances qui les obligeraient à trouver des accords de paix ?

Et qui, mieux que la France, pourrait prendre une telle initiative ? La catastrophe qu'elle vient de subir devrait l'y pousser naturellement. De plus, c'est elle qui, naguère, a défendu brillamment la cause de la paix. Relisons les pages les plus récentes de l'histoire contemporaine : à quelle occasion les Français ont-ils, pour la dernière fois, donné au

monde un véritable exemple de courage ? C'était en 2003, quand ils ont, par la voix de leurs chefs — et avec quelle éloquence ! — refusé de participer à la seconde guerre en Iraq, à cette même guerre qui, hélas ! a ouvert la voie aux catastrophes qui se sont déchaînées là-bas et ici, monstres horribles sortis d'une boîte de Pandore ouverte par des mains occidentales.

Alors, enfin, peut-être les morts du Bataclan n'auront-ils pas été inutiles.

Fabrice Butlen.

Tags :

[élections régionales](#)

[Bataclan](#)

[attentats](#)

[Iliade](#)

[Odyssée](#)

[Horatius Coclès](#)

[Mucius Scévola](#)

[Clélie](#)

[Iraq](#)

[Syrie](#)

[Israël](#)

[Guerre](#)

[André Malraux](#)
